

1.1.2

*Idem AAA. Eutropio pp.*

Nullus haereticis mysteriorum locus, nulla ad exercendam animi obstinatoris dementia pateat occasio, sciant omnes, etiamsi quid speciali quolibet rescripto per fraudem elicitum ab huiusmodi hominum genere impetratum sit, non valere, arceantur cunctarum haereticorum ab illicitis congregationibus turbae: unius et summi dei nomen ubique celebretur: Nicaenae fidei dudum a maioribus traditae et divinae religionis testimonio atque adsertione firmatae observantia semper mansura teneatur.

1 ¶ Is autem Nicaenae adsertor fidei et catholicae religionis verus cultor accipiendus est, qui omnipotentem deum et Christum filium dei uno nomine confitetur, deum de deo, lumen ex lumine, qui spiritum sanctum, quem ex summo rerum parente speramus et accipimus, negando non violat, apud quem intemeratae fidei sensu viget incorruptae trinitatis indivisa substantia, quae Graeco verbo *οὐσία* recte credentibus dicitur, haec profecto nobis magis probata, haec veneranda sunt.

2 ¶ Qui vero isdem non inserviunt, desinant adfectatis dolis alienum verae religionis nomen adsumere et suis apertis criminibus denotentur: ab omnium submoti ecclesiarum limine penitus arceantur, cum omnes haereticos illicitas agere intra oppida congregationes veteremus, ac si quid eruptio factiosa temptaverit, ab ipsis etiam urbium moenibus exterminato furore propelli iubemus, ut cunctis orthodoxis episcopis, qui Nicaenam fidem tenent, catholicae ecclesiae toto orbe reddantur.

*D. IIII id. Ian. Constantinopoli Eucherio et Syagrio conss. [a. 381]*